

8.41.25

*Idem AA. et CC. Philippo.*

Pignoribus datis a reo principali distractis nec post longi temporis intervallum residuum a fideiussore creditor petere prohibetur.

*S. VI k. Ian. CC. cons.*

[a. 294]

8.41.26

*Imp. Iustinianus A. Iuliano pp.*

Sancimus, si quis pro alio sponderit, quatenus eum intra certum tempus tradat vel certam quantitatem pecuniarum pro eo inferat, et tempore statuto iam effluente non poterit eum repraesentare, non statim pecunias pro eo stipulatas inferre, sed competere quidem post temporis lapsum omnimodo poenalem actionem, non autem statim summam, pro qua fideiussor admissus est, profligari.

1 ¶ Sed si quidem usque ad sex mensuum spatium tempus statutum sit, aliud tantum ei indulgeri, intra quod si possit personam exhibere et eam tradere, poena sit liberatus.

2 ¶ Sin autem amplius quam sex mensuum tempus ab initio constitutum est, tunc, quanticumque temporis curricula data sunt, tamen post lapsum eorum semenstres tantum habere eum indutias, intra quas sit ei licentia personam et non pecunias reddere.

3 ¶ Sin autem et secunda adiectio temporis excedat, tunc omnimodo poenam pecuniariam persolvat.

4 ¶ Sed si quidem post statutum ab initio tempus completum maluerit reum pro quo convenitur defendere, licere ei hoc facere, nisi pacti tenor ad hoc reclamaverit, si forsitan sine defensione facienda pro eo fideiussit: sed si defensionem subierit, eam usque ad finem adimplere, nulla ei licentia concedenda in medio personam tradere et pecuniarum dationem effugere.

5 ¶ Sin autem et secundum tempus effluxerit, nullo modo ei licentia concedatur nec ad defensionis venire praesidium, sed omnimodo poenam conferat nisi intra primum tempus quod statutum est reus principalis ab hac luce fuerit subtractus: tunc enim penitus ab exactione poenae liberum eum custodiri oportet.

6 ¶ Quod si secundo tempore instante mortuus fuerit, nihil minus poena iam commissa a fideiussore exigatur.

7 ¶ Omnibus, quae in fideiussores, quando tali poenae fuerint illigati, statuimus, et in heredes pro utilitate eorum obtinentibus.

*D. VI k. April. Constantinopoli Lampadio et Oreste vv. cc. cons.*

[a. 530]